

## Quantum durabunt effectus.



Vo sunt modi. Primus, uide quando planeta fuerit in radice in aliquo signo, & postea peruenerit in reuolutione, in illud ipsum signum, & in eodem loco figuræ in quo fuit in radice, si significauit per applicationem eius aliquod damnum, iudica quod damnum illud durabit quantum reuolutio illius planetæ duplicata, quoniam tempus duplicatur

eo quòd applicuit ad ipsummet locū in figura in quo fuit in radice, & non ad locū, in quo fuit in figura radice, & significauit damnum, minuitur illud damnum, & durat quantum reuolutio una illius planetæ. Verbi gratia, Saturnus fuit in radice natiuitatis in aliquo signorum, in septima domo, & peruenit in aliqua reuolutione ad suum locum, in quo fuit in radice, & fuit similiter illud signum septimum ab ascendente reuolutionis, aut septimum à signo profectiois ascendentis, & significauit per hanc applicationem, grauamina ex parte mulierum, & aduersariorum, postmodum dixi, quòd hæc res durabit per duas reuolutiones Saturni. Et si locus ille esse decimum ab ascendente reuolutionis, uel à decimo signo profectiois annuæ ascendentis, uel in alio bono loco pro Saturno, eo non applicante ad illum eundem locum, in quo fuit in figura radice, dicemus quòd illa significatio eius duraret quantum est Saturni una reuolutio. Et hoc modo quando aliquis planeta in aliqua reuolutione peruenit ad locum suum in quo fuit in radice, & ad illum eundem locum figuræ, & significauit per hanc applicationem eius ad signum, & dominum figuræ aliquod bonum, dicemus quòd illud bonum durabit quantum duæ reuolutiones illius planetæ. Tamen quando planeta peruenerit ad signum in quo fuit in radice, & significauit per illam applicationem bonum, & applicuerit in figura ad aliam domum, in qua non fuit in radice qui demonstrauerat bonum in illa significatione, dicemus quòd illud bonum durabit reuolutione una illius planetæ. Quando scire uolueris, quomodo accipiantur hæc reuolutiones in hoc opere, aspice planetā à quo accipitur hæc significatio, & si fuerit in signo mobili, accipias secundum numerum annorum suorum minorum horas. Si in bicornoreo, accipias secundum numerum annorum suorum mediocrium dies. Si fuerit in fixo, accipe secundum numerum annorum suorum maiorum dies. Et in quocumq; istorum necesse fuerit duplicare illum eundem numerum quem habueris, & iudicabis quod ille euentus rerum durabit in bono, uel malo per tempus numeri huius duplicati, & adiuua te in hac significatione ab angulis succedentibus, & cadentibus, & similiter ab ascensionibus signorum illius terræ.

Secundus modus. Si planeta in radice natiuitatis fuerit in aliquo signo, & postmodum applicat in aliqua reuolutione aliquis planeta ad illud signum, significat idem planeta, quoniam applicuit ad locum alterius, aliquam rem, & significationem quam significauit hic planeta, secundum domos reuolutionis, eritq; similiter conueniens illi quam significauit secundū domos radice, sicut prædiximus, & durabit per integrā reuolutionē planetæ, & adiunges ei reuolutionē planetæ radice, & hoc donec fuit in illo termino, uel non sit remotus à gradu plus medietate diametri sui. Et si planeta radice aspexerit planetam reuolutionis in illa reuolutione, dicemus similiter quòd significatio eius durabit secundū quantitatem annorū simul iunctorū. Et si hoc diuersificatur, ut sit applicatio ad signū, & non ad locū figuræ, significat quòd durabit tantū, quantum planetæ reuolutio, dummodo nō sit remotus ab eo plus medietate sui diametri, nihilominus de illa significatione reliquæ remanebūt, tantū duraturæ quantum complectitur circulus planetæ radice. Verbi gratia: Sit Iupiter in radice natiuitatis, in signo mobili, & esto signū illud sexta domus radice, & postea in aliqua reuolutione applicuit Venus ad illud idem signum in quo fuit Iupiter in radice, & fuit illud signum in reuolutione sextum ab ascendente, uel sextū à signo profectiois

K k iij

annuæ